Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2195
Quelle:
Copyright:

DCCCCXXII.

C. 954 Codex membraneus germ. Sec. XV. Folior. 334. in 8vo. luculente exaratus, literis initiorum, et marginibus paſſim auro, coloribusque illuſtratus, accedentibus Iconibus XXXIX. picturatis, adlatus e Parthenone *Halenſi Tyroleos*, ubi teſte manu praevia quondam *Magdalenae* Archid. filiae *Ferdinandi* I. Imp. a. 1590. defunctae fuit, varia continet Pietatis Exercitia: puta Preces matutinas, Horas de Paſſione Domini, de *Maria* compatiente, ad Miſſae Sacrificium, Pſalmos *Poenitentiales* cum Litaniis, Officium Defunctorum, demum Orationes ad varios Coelites. Multa ex his privato ingenio elaborata pro nota aevi ſimplicitate piis fabellis nituntur. Ita *fol.* 119. malus Genius S. *Bernardum* a. 1389. octo verſus e Pſalmo *Illumina oculos* &c. docuit; *fol.* 161. *chriſtus* cruci affixus V. Pſalmos oravit, et quae ſunt ejusmodi commenta. Ceterum non deſunt, quae notent vetuſtioris Linguae Cultores.

DCCCCXXIII.

C. 955 Codex membraneus germ. Sec. XV. Folior. 197. 8vo. maj. nitidiſſime perſcriptus, praeterque Literas initiorum et margines mira florum, animaliumque varietate ſpecioſos exhibens Icones ſacras XXI. infigni prorſus penicillo depictas, adlatus e Parthenone *Halenſi Tyroleos* varia Pietatis Exercitia complectitur, inter quae non pauca incertis revelationibus, traditionibusque nituntur, quas aetas rudior avide arripuit. *Calendarium* praemiſſum, praeter Signa Zodiaci et Georgica, ad naturam adumbrata habet, quae Regnum vegetabile ſingulis menſibus proferre ſolet. In hoc Calendario *Kunegundis* Martio, *Udalricus* et *Arbogaſtus* Julio, *Sebaldus* Auguſto miniati ſunt. Precum initium ducitur a Curſu B. V. *Mariae*, ſuccedunt aliae ad S. Trinitatem, *Chriſtum* patientem, Deiparam, Miſſa et Officium pro Defunctis &c. Librum in uſum magnae cujusdam Principis exaratum fuiſſe, ſuadet Icon *fol.* 89. p. 2. ejusmodi Matronam arae adgeniculantem cum Gynecaeo ſuo exhibens. Adſtant Adoleſcentes duo, ut videtur, Filii; adſtat et Morio aulicus habitu flavo, caeruleoque, eo prorſus, quo in *Codice* DCCCCLI. ad Aulam *Bavariacam* pertinente depictus ad menſem *Majum* comparet. In Icone *fol.* 129. p. 2. eandem Matronam, eosdemque Adoleſcentes ad lectum Moribundi adſiſtere, credibile eſt; hic vero quaedam etiam Sanctimonialis adgeniculatur. Anne Moribundi Familia? Juvat demum obſervare formam qua Pictor *fol.* 124. p. 2. S. Spiritum exhibuit. Virum vides juvenem alatum veſte talos tegente rubeſcente, cui, ſtola anguſta purpurea injecta eſt. Ejusmodi repraeſentationibus interdixit, ut notum eſt, *Benedictus* XIV. P. M.